

X X.

51

Vulgavit Gruterus p. CCLXXII. 8. Ex designatione fecundi Consulus Philippi, quem gessit Anno Ch. CCXLVII., eruitur, hanc illi Inscriptionem a Pisarenfibus positam fuisse Anno Ch. CCXLVI.

X X I.

Edidit Gruterus p. MLXXXV. 12.; & ex eo Bandurius in notis ad Nummos aureos Salonini Valeriani, Gallieni Aug., & Saloninæ filii.

X X I I.

Hanc Inscriptionem, quæ ex Atrio Ducalis Aulae in Prætorium superioribus annis translata fuit, vulgavit Gruterus pag. CCLXXVI. 3. Quando effossa fuerit diximus supra Not. IV. positam fuisse eodem ferme tempore, quo altera, quam n. IV. collocavimus, vel ex eo evincitur, quod utriusque idem C. IVLIUS PRISCIANUS CVRAM egerit. Quando autem utraque posita fuerit, jampridem docuit laudatus Æmilius Mancinius in Præfat. ad Statut. Pisaur.: *tres enim, inquit, Aurelianus habuit victorias in Italiâ, unam juxta Placentiam, aliam juxta Ticinum, aliam, ex quâ hæc Statua fuit erecta juxta Metaurum Flumen, & Urbem Fani.* Idem tradit Sebastianus Maccius lib. I. de Port. Pisaur. Cap. XII. his verbis: *Fuit autem Aurelianus Imperator victoriosissimus, & fortunatissimus; ex tribus namque certaminibus in Italiâ victoriam reportavit, semel juxta Placentiam, iterum apud Ticinum amnem, tertium inter Metaurum Flumen, ac Fanum Fortune: atque propter hoc ei hæc Statua fuit erecta.* Hujus Metaurensis Victorix meminit Aurelius victor in Epitom. *Iste in Italiâ tribus præliis victor fuit apud Placentiam, juxta amnem Metaurum, ac Fanum Fortune, postremo Ticinensibus in Campis.* Quâ vero de causâ doctissimus Anselmus Bandurius Tom. I. p. 38. ad Placentinam Aureliani Victoriam Inscriptionem nostram pertinere putaverit, prolix non video; quum præsertim æquius fuerit, Pisarenfes Statuas ei posuisse ob Metaurensis Victoriam, tum ob summam loci vicinitatem, in quo fusi hostes fuerant, cum etiam, quia eorum sævitiam perpeffi fuerant, adeoque eo major fuerit

G 2

rit